



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 9. Quanto tempore possit dolor confessionem præcedere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

Quanto tempore possit dolor confessionem præcedere?

eata jam ritè confessâ, teneatur elicere novum actum displicentiæ? Respondetur negativè, quia, posita nova confessione, perseverante antiqua displicentiâ peccati, id est, non retractata, variatur, seu multiplicatur proxima materia Sacramenti, ergo super illam poterit cadere nova absolutio. * Sic ibi: & iterum in *Quest. moral.* Hispano idiomate cûsa Mattiri anno Domini 1660. cui subscripserunt celebriores Doctores, & Magistri Universitatum Salmanticensis, & Complutensis, quos sigillatim ibi cum approbationibus refert. Unam pro omnibus adducere placuit, doctissimi & amicissimi Doctoris D. Joannis Zafuilla & Azagra, Majoris Divi Ildephoni Complutensis Universitatis olim Collegæ, atque Rectoris, & Primariæ Sacre Theologiæ D. Thomæ Cathedralæ moderatoris, & inde Toletanæ Ecclesiæ Canonici meruissimi, qui huic opinioni subscribentes, sic inquit: * Quando enstas segundas confessiones no huviere dolor expreso, es muy probable, que se haze valido, y fructuoso el Sacramento de la Penitencia con el dolor pasado, &c. Y que un dolor baste para muchos Sacramentos de la Penitencia, lo ensenna Henriquez, Ledesma, Cruz, Salas, Leander, Remigio, el Eminentiss. Card. de Lugo, &c. Esta opinion la da por probable Diana, & novissimè el Padre Maestro Matheo de Moya, Catedratico que fue de Vísperas en este Colegio de la Compañia de Alcalá, y aora de Prima en el Imperial de Madrid, en su materia de Penitencia *disput. 15. cap. 12.* adonde dà razones tan eficazes, que haze mas que probable la parte. * Eandem sententiam sequitur Tamburinus in *Methodo lib. 1. cap. 2. §. 5.* cum hac tamen limitatione: *Dummodo antiquus ille dolor non sit, ita tempore disjunctus ab hac confessione, ut moraliter unum quid cum hac facere non censeatur.* Quæ autem conjunctio requiratur, dicemus ex professo questione sequenti.

15. Obijcies: eadem accusatio, etiam si diversos dolores significaret, non sufficeret ad diversa Sacramenta: ergo neque idem dolor sufficeret, etiam si per diversas accusationes significetur. Respondeo negando consequentiam: & argumentum retorqueo in Eucharistia, ubi ad pluralitatem Sacramenti requiritur multiplicitas materiæ proximæ per se sensibilis, non verò materiæ, quæ per se sensibilis non est; imò neque id concludit: hujus enim unitas, vel multiplicitas non facit esse unum, vel plura significantia gratiam justificantem, & consequenter non facit, esse unum, vel plura Sacramenta. Cum igitur ex parte materiæ in Sacramento Pœnitentiæ sola confessio sit per se sensibilis, ex illius tantum unitate, & pluralitate unitas, vel pluralitas Sacramenti desumenda est. Unde fit, quod licet eadem accusatio significans diversos dolores, deservire nequeat ad diversa Sacramenta; idem tamen dolor per plures accusationes significatus sufficiat. Respondeo secundo ex Card. de Lugo, peculiarem in hoc Sacramento inventi rationem: nam cum per modum iudicii institutum sit, non potest secundo exerceri absque nova accusatione: nequit enim iudex super eadem causa iterum sententiam ferre, nisi nova accusatio, & novus processus fiat: totum autem hoc absque novo dolore potest consistere; nam diversa peccatorum narratio, licet eundem dolorem connotet, diversa est accusatio, ut potè diversum concretum accidentale more adjectivorum significans.

* *

1. Ad præcedentis quæstionis complementum restat modo examinare, quænam ratio requiratur inter dolorem, & confessionem? enim nullus designetur terminus, potest per unum initio anni, v. gr. habere dolorem de aliquo peccato jam confessis, & virtute illius, dummodo peccatum mortale non fuerit retractatus, cunctis singulis diebus aliquid ex his, de quibus doluit venialibus occurrentibus, prout libuerit. Sequitur inevitabilis videtur, quædamquidem, ut quædam præcedenti probavimus, idem tamen dolor pluribus sacramentis deservire potest: nec novo indiget dolore, qui peccata jam confessâ tantum edidit per materiam, & aliunde eorum dolorem nunquam retractavit.

2. Ex Doctores, qui novum dolorem ad novam eorumdem peccatorum confessionem non requirunt, Salas, Ledesma, & Joannes de la Cruz absque limitatione aliqua, præfixam conclusionem defendunt, nec de conjunctione inter dolorem, & confessionem meminerunt. Lugo autem *suprà num. 35.* moralem aliquam unionem requirit, ad quam, ait, tempus aliquid debet ab utroque taxari, intra quod debet esse dolor, & hoc propter longam distantiam non possit esse moralis inter partes. Ipse verò nullum tempus determinat, nec explicat, quænam esset longa distantia, Præpositus in 3. p. quæst. 2. dub. 1. numer. 30. moralem conjunctionem intervenire putat, si quis non sperè attritionem habuerit, & sequenti die eodem novo dolore confiteatur. Idque tanquam verum supponit Lugo *suprà disput. 14. sect. 4. numer. 36. 37.* & ex D. Thoma tradit Diana 5. p. tract. 14. res. 1. & sequitur Tamburinus *op. cit. lib. 1. cap. 2. §. 4. numer. 1.* qui addit, dolorem per quatuor, aut quinque dies antea conceptum sufficere, concluditque, dicere: * Longiorem temporis extensionem nondum invenit quoad Theologos, si quis inveniat, vel longiorem satis esse autem, hic oro subscribat. * Sic loquitur. Sed alii longiorem invenerunt, quos miror eorum eruditum latuisse.

3. Diciturillo tom. de Pœnitent. *disput. 6. num. 107.* non finem, inquit, eum, qui, confessione audita, distulit aliqua causa absolutionem, (v. gr. ob frequentiam peccati) posse post multos dies illum absolvere. Id id etiam, inquit, potest quilibet alius Sacerdos in casu necessitatis, si de priori confessione, etiam alios, habuerit notitiam. P. Tancredi in *quest. Moral. disput. 4. quæst. 7. fol. 94.* dicit: * Communi consensu facere dolorem mense antecedenti elictum de peccatis, si nunquam fuerit retractatus, & aliquando plus attentis circumstantiis. *

4. P. Granado in 3. p. controverf. 7. tract. 3. *disput. 1. numer. 7.* asserit, ad moralem conjunctionem pertinere, dolorem moraliter, seu virtualiter, perseverare: tandiu autem, inquit, sic perseverat, quando pœnitens interrogatus, cur doluerit, possit sine nova deliberatione respondere, se doluisse, ut confiteatur, & non retractasse dolorem, quia vult confiteri. Præbat paritate intentionis Missæ, quæ tandiu dicitur virtualiter durare in ordine ad conficiendum Sacramentum.

mentum, quandiu interrogatus de sine illius titus
externi, sine nova deliberatione respondet, quia vult
conficere Sacramentum.

5. Verum si ex intentione ministri desumi posset
paritas, nimia sese daret opinandi licentia. Nam in-
tentio suscipiendi ordines, absque nova alia forma-
li intentione (dum nunquam habuerit contrariam)
reputatur ab aliquibus sufficiens ad consecrandum,
& absolvendum. Ita Sotus *dist. 1. quæst. 5. & 8. ad ter-
tium*. Navarro *cap. 25. num. 91*. Henriquez *de Sacra-
ment. in genere, lib. 1. cap. 10. num. 2*. Et saltem, ut
ibi dicitur Henriquez, si ante annum, quis habuisset
intentionem baptizandi, absolviendi, vel conse-
crandi, & illam non revocasset, sufficeret ad confi-
cienda Sacramenta. Igitur juxta hæc, si ante annum
habuisset dolorem ex animo confitendi singulis die-
bus eadem peccata, non erit necessarius alius dolor
pro singulis confessionibus.

6. Adde ex eodem Henriquez *de Penitent. lib. 1. cap.
10. num. 4. & de Sacrament. in genere, lib. 1. cap. 9. num.
11*. cum Soto, Ledesma, & Navarro, posse interdum
absolutionem dari, quamvis multis retro die-
bus præcesserit confessio. Probat, tum quia cen-
setur manere moraliter præsens confessario, qui pec-
catorum recordatur, tum quia, ut *cap. 11. num. 6*. cum
Sancto Thoma, & aliis tradit ipse Henriquez, hu-
manus actus, nisi revocetur, durat præsentia mor-
ali. Stigitur peccatorum recordatio facit confes-
sario moraliter præsentem confessionem, quare re-
cordatio doloris non faciet penitenti moraliter
præsentem dolorem. Insuper, si confessio non re-
tractata est moraliter præsens ad absolutionem, cur
dolor non retractatus non erit moraliter præsens ad
confessionem? Nec enim major unitas requiritur
inter partes materiæ Sacramenti, quam inter eius
materiam, & formam.

7. Unde Gaspar Hurtado *disp. 1. de Sacrament. in
genere, difficult. 11*. Hanc moralem unitatem existi-
mat intercedere, licet multo tempore post dolorem
fiat confessio. Probat primo, quia tandiu manent
moraliter actus penitentis, quandiu non retractan-
tur; neque expressè, neque implicite. Secundò,
quia hoc Sacramentum est institutum ad modum ju-
dicii: in forensi autem judicio, absolutio, vel con-
demnatio fit iudicialiter, multò postquam causa discussa
fuerit. Hanc sententiam putat probabilem Diana
s. p. tract. 14. resol. 67. & sequitur p. 9. tr. 9. resol. 51. Et
amplectitur cum Candido, Fr. Leander hic *disp. 7.
quæst. 6*. dicens, favere Sotum, & Suarium: & se-
quitur Remigius in *Sum. cap. 5. §. 14. num. 10*. & non
improbat Tanceredi in *questionib. Moral. disp. 4. quæst. 6.
sol. 94. & quæst. 7. sol. 96*. & expressè tenet Christo-
phorus Deig-dillo, *tom. de Penitent. cap. 16. dub. 5*. ubi
ait, dolorem unius confessionis sufficere ad valorem,
& effectum alterius: * Quamvis longo tempore
præcesserit dolor, dummodo per voluntatem con-
tractam non fuerit interruptus: quia quacumque
temporis interapedine intercedente, habet perse-
verantiam moralem sufficientem ad Sacramentum
conficiendum: sicut illam habet, in ordine ad ma-
trimonium conficiendum, consensus conjugis, cujus
matrimonium fuit nullum, defectu consensus alter-
ius conjugis. * Hæc illi.

8. Pro qua faciunt omnes Doctores asserentes,
voluntatem peccandi non retractatam, censerit mor-
taliter perseverare, quos citavimus, *disp. 2. hujus tra-
ctatus, q. 1. num. 2*. Favent etiam, qui putant, dolorem
non esse partem essentialem hujus Sacramenti, sed
requiri, ut dispositionem; ac proinde confessionem

Part II.

sine dolore factam, validam esse, & non iterandam.
Hi sunt Major *dist. 17. quæst. 73*. Almainus *quæst. 4*. &
videtur Scoti, Gabrielis, Durandi, ut notat Henri-
quez *de Penitent. lib. 1. cap. 26. num. 7. in glos. in fin.* Quæ
sententia, inquit, licet falsa, servit tamen proposito,
tum quia eadem dispositio potest deservire duplici
Sacramento, ut penitentia, & baptismo: tum quia
licet multo tempore post confessionem sequatur dolo-
r, eundem effectum dispositivè causat: * Ergo
è contra licet multo post dolorem sequatur confessio,
eundem etiam effectum causabit.

9. Hæc sunt, quæ apud Autores invenire potui-
mus nec facile quidem est in re morali ad prudentis tan-
tum judicium deducta, prudens semper judicium
ferre. Video etenim moralem aliquam unionem, in-
ter dolorem, & confessionem, ut potè ejusdem Sa-
cramenti partes, necessariam esse, sed non est facile
distantiam impediendam taxare. Nam satisfactio,
seu penitentia Sacramentalis est pars integralis hu-
jus Sacramenti, & tamen si tempus à confessario non
prescribatur, posse per annum differri, docent Anto-
nius Fern. *1. p. docum. 4. num. 5* & Diana *p. 2. tract. 1. Mis-
cell. resol. 53. & p. 5. tract. 5. resol. 15*. & non est dubium,
posse confessarium imponere penitentiam intra
quatuor, vel octo annos adimplendam.

10. In hac controversia meum judicium est, do-
lorem peccatorum, & confessionem sufficienter
uniti moraliter in ordine ad idem Sacramentum,
quoties penitens ex odio præcedenti peccatorum,
& desiderio obtinendi veniam, in memoriam revo-
cat, movetur ad eorum confessionem, vel primo
efficiendam, vel iterandam. Moveor, quia nihil
aliud requiritur ad constituendam accusationem do-
lorosam: igitur distantia illa, quæ prædictam mo-
tionem impedire non possit, nequit moralem con-
junctionem partium in ordine ad absolutionem tol-
lere. Confirmatur primo, nam dolor duabus, vel
tribus horis ante confessionem habitus, sufficiens
est secundum omnes ad confessionem; quia licet
physicè non existat tempore, quo fit confessio, eam
tamen dolorosam constituit, ut potè, ex peccati odio,
& detestatione præhabitis, procedentem. Ergo
quoties ex peccati odio ad memoriam revocato, ex-
citetur, & deliberet penitens de confessione talis
peccati efficienda, verè talis confessio dolorosa erit,
sive breve, sive longum tempus inter dolorem, &
confessionem interfluxerit; cum semper interve-
niat eadem ratio formalis constituens peccatorum
narrationem in esse dolorosæ accusationis. Confir-
matur secundo, quia plures voluntatis actus, phy-
sicè interrupti, habent unitatem sufficientem ad con-
stituendum unum peccatum mortale, quando vo-
luntas memoria unius actus præhabiti excitatur ad
habendum alium, ut vult Lugo *disp. 16. sect. 14. num.
561*. de quo nos supra. Ergo eo or de peccatis suf-
ficienter unitur confessioni in ordine ad unam ma-
teriam penitentia constitutendam, quando voluntas
memoria doloris peccatorum præhabiti, ad eorum
confessionem excitatur.

11. Probat secundò ex doctrina Suarez *de Pe-
nitent. disp. 20. sect. 4. num. 29. & ex Lugo disp. 14. sect. 4.
num. 37. & 38*. asserentibus, ad veram confes-
sionem sufficere, doloris signum præbere in ordine
ad absolutionem obtinendam; sed qui ex memoria
odii, & detestatur quis peccatorum non retractate
excitatus, peccata sua semel, vel iterum confitetur,
verè perhibet signum doloris in ordine ad absolu-
tionem obtinendam: ergo habet quidquid requiri-
tur ad veram confessionem. Stat, me iudice, pro hac

Ff 3

senten-

sententia Reginaldus in praxi, lib. 5. num. 54. & dissentit nequit Tamburinus in Method. expedit. confess. lib. 1. cap. 2. § 4. num. 5. ubi ait dolorem posse confessionem tanto tempore precedere: *Quantum moraliter potest censeretur unum actum imperari ab alio.* Remotè enim imperatur moraliter, quando ex unius memoria ad alterum excitatur.

12. Ex dictis inferitur, pœnitentem timoratum nulla culpa mortali post ultimam confessionem infectum, posse, memoria doloris præhabiti excitatum, confiteri singulis diebus peccatum aliquod, de quo jam doluit, quin teneatur de presenti dolere, & nullam esse distantiam, quæ unionem sufficientem impedire possit: nec enim est major ratio unius hebdomadæ, quam unius anni, nec unius, quam duorum. Quia sola doloris retractatio unionem moralem impedit.

13. Animadvertendum verò est, dolorem, & propositum vitandi venialia, & mortalia ex motivo universalis conceptum, non intelligi retractatum per aliquid veniale postea commissum, ut tradunt Dicastillo tom. 2. de Sacram. tract. 8. disp. 6. dub. 18. num. 322. Eminentiss. Card. de Lugo de Pœnitent. disp. 14. num. 144. Diana p. 11. tract. 5. resol. 25. & P. Stortia Pallavicinus in Assertionib. Theologic. lib. 7. cap. 29. dub. 290. Unde ex hoc capite nil adduci potest contra repetitas venialium confessiones sub eodem dolore moraliter perseveranti. Huius ratio ut bene ait Card. de Lugo supra, defumenda est ex eo, quod dolor, licet sit universalis de omnibus peccatis, inæqualiter tamen ad illa, juxta eorum inæqualitatem, terminatur, ita ut magis mortalia, quam venialia delectetur. Unde licet per veniale commissum post dolorem, & ante absolutionem, retractetur dolor, prout ad venialia illius speciei terminatus, perseverat tamen moraliter, prout ad lethalia, vel ad graviora venialia se extendit. Quod satis est, ut sine scrupulo possit quis, non iterato doloris actu, novam confessionem efficere.

14. Animadvertendum est secundo, non esse necessarium, quod dolor peccatorum processerit ex intentione confessionis, nequid illam relatione aliqua antecedenti ordinatus fuerit, ut bene ex Suarez probat Lugo supra, contra Bonacinam, & Palaum tom. 4. tract. 23. disp. unica puncto 7. Quia sine hac relatione verificatur, ad esse totum, quod exigit Concilium ex parte pœnitentis, nimirum confessionem cum vero dolore. Unde qui de peccatis doluerit, nil de confessione cogitans, poterit postea doloris præhabiti memoria excitatus ad eorum confessionem accedere. Et ita cum Reginaldo tenet etiam Fr. Leander hic disp. 7. quest. 7. Josephus de Januario in Theolog. moral. p. 1. resol. 29. & Tamburinus in Methodo lib. 1. cap. 2. § 3.

QVÆSTIO X.

An dolor ad Sacramentum requisitus, debeat precedere confessionem?

1. **A**ffirmat Coninch disp. 4. dub. 6. & cum Layman, Castro Palao de Pœnitent. tom. 4. tract. 23. disp. unica, puncto 7. numer. 11. Negant, & merito Suarez disp. 20. sect. 4. num. 31. Fillucius tract. 7. numer. 158. Canus, Vasquez, & alii, quos sequitur Hurtado de Pœnit. disp. 6. diff. 10. Navarrus, Henriquez, Fagundez, & alii, quibus accessit Lugo disp. 14. sect. 2.

quos sequitur novissimè Josephus de Januario in Theolog. moral. p. 1. resol. 29. Baunio tom. 1. de Sacram. tract. 4. quest. 12. & Tamburinus in Methodo lib. 1. cap. 2. § 4. Probatur ex communi praxi fidelium, & solutionem exhortari fideles ad dolorem: ergo, dolorem subsequenter confessionem sufficere. Ratio à priori est, quia partes essentielles hujus Sacramenti sunt attritio, & confessio, sed, five attritio antecedit, five subsequenter confessionem, verè datur ex parte pœnitentis attritio, & confessio: ergo verè datur quicquid ex parte requiritur ad valorem Sacramenti.

2. Obijcies, dolor, qui est pars Sacramenti, debet fieri sensibilis per confessionem, sed dolor dolens confessionem fieri non potest sensibilis per se: ergo nequit esse pars essentialis Sacramenti. Probatur minor. Quia non potest confessio dolens dolorem, nisi ex dolore procedat: spiritus enim dolorem tamquam sui causam. De venia & genuina intelligentia majoris propositi nonnulla prælibavimus alibi. Etenim, juxta mentem Theologiam, negantem Sacramentum valorem, de informis, dolor, ut terminatus ad obliam, est pars essentialis Sacramenti; & tamen ut talis non reputatur sensibilis à Theologis. Igitur ad valorem Sacramenti non requiritur, quod secundum omnem formalitatem sibi intrinsicam sensibilis sit, nec quod possit ex notitia per sensum habita judicari de veritate Sacramenti. Unde sit, Sacramentum esse, dolens signum sensibile in eo sensu, quo homo est, & datur rationalis, denominatione de semper aliqua parte sibi intrinseca. Ita, ut sensus sit, Sacramentum esse totum continens rationem signi sensibilis per sanctificantis; quod quidem verum est, licet eundem aliquid sui sensibilis non sit.

3. Verum admissa majori, ad probationem minoris respondeo primo, dolorem illum sufficere, ut fieri sensibilis ictu pectoris, vel verbis pœnitentiam absolventis, afferentis se dolere. Respondendo secundo, confessionem, quoad rationem talis, dicitur accusationis, semper provenire à dolore in genere causæ formalis. Respondendo tertio, non requiri, dolorem significari tamquam confessionis causam in alio genere: id enim nullo fundamento probari potest, sufficit namque, ut bene Lugo supra, quod significetur tamquam habitus, vel habendus ante absolutionem; idque semper significatur eo ipso, quod pœnitens de peccatis se accuset in ordine ad absolutionem, & eorum veniam obtinendam. Commemorat absque prævio dolore, non sicut à Deo remittitur eo ipso, quod per confessionem significat esse commissionis desiderium; sic etiam se habere, vel ad absolutionem habiturum dolorem requisitum, qui vult efficaciter finem, vult etiam omnia eius requisita ad eius consecutionem.

4. Hæc ratio, eo mihi magis aridet, quod per se lam facilis aperitur via ad defendendum, dolorem etiam ut terminatum ad obliam, fieri aliquando sensibilis per confessionem, ac proinde Sacramentum sensibile esse secundum omnem formalitatem sibi intrinsicam. Nam cum mortalia in confessione expressa remitti nequeant sine obliis, & hæc confessiones non possint sine dolore ad illa terminari; si confessionis motivi, eo ipso, quod confessio significat desiderium efficacis remissionis, non potest non ligari dolore, ad esse jam, vel ante absolutionem ad futurum in dolore, obliam comprehendentem. Confirmatur, quia confessio est signum sensibile gratiæ justificati,